
VERSO
POSITU

b
82

IDENGRAPHICVS

NVNTIVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SVPERIORVM PERMISSV.

NEAPOLI, Ex Typographia Tarquinij Longi. M. DC. XI.

SERENISSIMO DVCI

LEONARDO DONATO

EXCELLENTISSIMO SENATVI,

AC TOTI PVBLICAE REI

VENETIARVM.

PROSPER ALDORISIVS

ÆTERNITATEM.

OPORTERET ſanè DVX SERENISSIME, EXCELLENTISSIMIQ. PRINCIPES, de IDENGRAPHIA primò ſcripturum; imò (vt verum dixerim) IDENGRAPHIAM inuen-

inuenturum, eum eſſe hominem in hominum opinione, vt ſine miraculo de philoſophiæ miraculis ipſi fides adhiberi poſſet: cui hominis effigiei cum ipſe ſim propè diſſimillimus, cum ætatis defectu, tum inopia doctrinæ, ſæpius mihimet ipſi experto fidem negaui; verum enimuerò intuens in pluribus hanc virtutis opinionem inuentionis fuiſſe fructum; huius fructus ſemen aliquando iaciendum duxi: & cum famæ fructus quæreretur; ecce in veſtræ Florentiſſimæ Reipublicæ fronte famæ iam maturæ typus conſpicitur: ipſa (Reſpublica inquam) parua primò vires eundo acquiſiuit: mox in auras ſeſe attulit; adeò vt condat caput inter nubila: hanc Oceanus pater progenuit; cuius in vniuerſali corpore, tot ſunt patrum vigiles oculi, tot linguæ, atque ora ſonantia; quibus territat magnos orbes: Quid plura? IDENGRAPHIA breuibus adumbrata concluſionibus, quaſi per ſpeculum in ænigmate ſe vix conſpici maluit; concluſiua igitur dicatione vtendum mihi erit: Foue DVX SERENISSIME; Foue EXCELLENTISSIME SENATVS; Fouete ſimul vnanimes naſcentem IDENGRAPHIAM; nam quemadmodum ex

veſtræ

veſtræ Reipublicæ viſceribus tantæ politiæ ſtudium hactenus ignotum exterarum prouinciarum intima penetrauit; ita & ſuauiorum Muſarum noua inuenta remotiſſimos populos ex eadem origine per famæ mobilitatem multiplici ſermone replebunt. DEVS Opt. Max. Chriſtianam Rempublicam, Chriſtianorum æuo coæquet. Neapoli Kal. Sept. 1611.

LECTORI.

P. ALDORISIVS.

NOuum planè, & hactenus inexcogitatum ſcientiæ genus nuper reſerare audeo? Neque ingenij vires licentius quam par eſt iactare arbitror? Nihil minus? Philoſophiæ nuncius, prioribus ſæculis prorſus incognitus, atq. adeò inauditus nunc primum in lucem prodit: Ecquis tantus erit nuncius? IDENGRAPHICVS: eam ſcientiam, IDENGRAPHIAM nuncupare libuit; nimirum noua philoſophandi via, qua quicquid è naturalis Philoſophiæ, vel Aſtronomiæ principijs Sophi hactenus fortunæ, corporis, ac animi dotes in homine indagare auſi ſunt, ſolo ipſe ſcribentis hominis inſpecto caractere, admirabili, naturali tamen ratione certius tutiuſque aſſequor. Naturali inquam ratione, vtpote non fucata, aut conficta; ſed quæ è vero, fidoq. naturalis philoſo-

loſophiæ viſcere dimanet. Cuius IDENGRAPHIAE ſequentes haſce theſes cunctis propono; eaſque vt calamo exaraui,ita rationis haſta è ſincera,germanaq. philoſophia, neutiquam abhorrentes ſemper, & vbique tueri aperto Marte polliceor. Subſiſtere vos videre videor, rem fermè incredibilem, humanumque captũ prima fronte tranſcendentem, meque ea omnia quaſi ſomniantem, aut certe comminiſcentem demirantes. Veruntamen vos longe falli propediem patefaciam. Quid plura? Agite iam? Arena rerum magiſtra vos præſtolatur: Martis exitus mihi ſoli erit iniurius, ſi quæ promicto non præſtem; vobis autem fęliciſſimus ſi tot ſęculis abditam Philoſophiam, hac tempeſtate aperiri, eaque vos gaudere contingat.

I.

QVemlibet hominem in ſcribendi operatione proprium, & peculiarem caracterem ſortiri, proculdubio cenſemus.

II.

Si pedibus, vel ſinixtra manu ſcriberent homines, cuncti proprium etiam caracterem, & diuerſum efformarent.

III.

Caracterem vero dextera manu ſcriptum, diuerſum eſſe (licet non omnino) ab eo qui pedibus, vel ſinixtra manu efformaretur.

IV.

Animal omne, quod inſtrumentum ad ſtyli motionem idoneum habet, ſcribere poſſe, caracteres ſcilicet deſignare.

V.

Si Animalia ſcriberent, non minus ſpecies eorum; quam ſingula vniuſmet ſpeciei diuerſimode ſcriberent; indeque proprium caracterem ſingula ſortirētur.

VI.

Gentes omnes, pręter id, quod ad placitum in ſcribendo induxerunt, proprium quid in ſcribendi operatione ſortiri, & in eo ſingu-

ſingulos ex qualibet gente vt plurimum conuenire.

VII.

Scriptum caracterem diuidi debere in proprium, in alterum, qui præter proprium eſt, & in eum qui cōtra proprium caracterem,

VIII.

In proprium caracterem facillime habitum adipiſci.

IX.

Habitum vero ad caracterem præter proprium, hominibus difficilem eſſe, impoſſibilem animalibus.

X.

Secus autem habitum formare in caracterem cõtra proprium, nedum animalibus, ſed hominibus impoſſibile eſſe.

XI.

Habitum ad caracterem præter proprium effingere, vel hunc caracterem, vel eum qui contra proprium eſt efformare, hominibus alijs difficile, alijs facile eſſe, ob natu-

naturalem horum aliquam potentiam ad hanc rem inclinantem.

XII.

Quamobrem hominibus, & gentibus, alijs facile, alijs perdifficile eſſe alterius hominis proprium caracterem effingere, ſiue his caracter præter proprium, ſiue contra proprium ſit.

XIII.

Mulieres difficilius proprios caracteres immutare, vel alienos efformare, quam homines, aliquibus autem mulieribus facilius

lius, quam hominibus id contingere.

XIV.

Animalia ſi ſcriberent, nullo modo proprios caracteres immutare poſſe, quare nec hominum, nec animalium etjam caracteres effingere.

XV.

Facilius homines animalium, quam homines hominum caracteres deſignare.

Certis

XVI.

Certis verò gentibus, & hominibus naturalem ineſſe potentiam, tàm hominum; quam animalium difficulter caracteres imitari.

XVII.

Certos etiam homines, hominumque gentes naturaliter poſſe, facilius hominum caracteres imitari, quam animalium.

XVIII.

Certos homines, ac gentes, tam hominum, quam animalium, faciliter caracteres componere.

XIX.

Aliquibus vero gentibus, & hominibus facultatē ineſſe facilius caracteres aliquorum animalium, quam aliorum deſignare, quemadmodum forſan tu, & Hebræi magis ſimiarum, & meos caracteres efformaretis, quam alios.

XX.

Homines, ac gētes aliquas faciliter caracteres aliquorum hominum, ac gentium efformare, difficulter alios, quemadmodū, tu & Hebræi magis Gallorum, ac meos caracteres deſignaretis, quam alios.

XXI.

Gentes,ac homines alios difficulter, vel facilitér,tres,quatuor, vel alios hominum, ac gentium caracteres componere, alios vero vnum , duos , & ſimiliter ; alteros nec vnum,nec duos,nec alios deſignare.

XXII.

Hæc omnia quæ hominibus, ac gentibus ob eorum naturas dicimus conuenire, mulieribus etiam competere.

XXIII.

Atramenti, vel ſtyli qualitatem proprium caracterem alterare.

XXIV.

Alterationem proprij caracteris ex ſtylo, maiorem eſſe ea, quæ ex atramento proficiſcitur.

XXV.

Scribentibus cunctis proportionatum ſtylum, vel atramētum eſſe, quod proprios eorum caracteres non alteret.

XXVI.

Statutum ſcribentibus eſſe tempus, vnum in quo ſcribendi operatione gaudeant, & hoc proprium dici; aliud in quo eam ægreferant, & hoc contra proprium eſ-

ſe, aliud in quo nec operationem hanc ægreferant, nec ipſa gaudeant, quod prę- ter proprium diudicari.

XXVII.

Varia hæc tempora ſcribentibus eſſe, ob variam eorundem temporum perdurationem; alijs enim in ſpatio vnius momenti, vel horæ, vel menſis abſoluuntur, alijs differenter.

XXVIII.

Ex eo quia ſcribentes omnes diuerſas qualitates ſortiuntur, differens ſcribentibus

bus eſſe tempus, tàm proprium, quàm præter proprium, & contra proprium; quapropter differentias horum temporum ſcribentium qualitates conſequi.

XXIX.

Scribere in tempore contra proprium, iuxta ſcribentis varias qualitates, varias corporis indiſpoſitiones cauſare.

XXX.

Econuerſo in tempore proprio ſcribere, ſecundum varias ſcribentis, qualitates varias corporis diſpoſitiones producere.

Non

XXXI.

Non ſcribere igitur in tempore cõtra propriũ, ſecundũ varias ſcribẽtis qualitates, varias corporis diſpoſitiones cauſare.

XXXII.

Pariter in tempore proprio non ſcribere, ſecundum diuerſas qualitates, ſcribẽtis diuerſas corporis indiſpoſitiones afferre.

XXXIII.

In tempore autem, præter proprium, nec ſcribere, nec non ſcribere diſpoſitiones, vel indiſpoſitiones corporis producere.

XXXIV.

Scribentium igitur omnium caractêres differentes eſſe, ex eo quia ſcribentes differentem ſortiantur naturam.

XXXV.

Quapropter in ſcribendi operationem ſcribentiũ corpora influere; indeq. elementa ex quibus corpora componuntur.

XXXVI.

Operationem igitur ſcribendi ex inſtinctu, & hominum placito originem habere, proindeque mixtam dici actionem ex natura, & artificio.

Idcirco

XXXVII.

Idcircò ſcripti caracteris efficientem cauſſam non ſpiritus, non humores, neque ſolidas partes eſſe, ſed ſpiritus,& humores ſimul cum ſolidis partibus.

XXXVIII.

Manum,vel aliud tale ſcripti caracteris naturalem inſtrumẽtalem cauſſam, idcirco eſſe, quia ſtructura eius talis eſt,namque vt mixtum quoddam efficiẽs cenſendũ.

XXXIX.

Cum in ſeptem annorum ſpatio elementa corporis ſcribentis alterentur in eodem

temporis interuallo, alterari proprium ſcribentis caracterem, quo alterato caracterem etiam præter proprium, & cōtra proprium alterari.

XL.

Aliquorum corporum elementa quia ſecundum eorum diuerſam conſtitutionem non ſolum in ſeptem annis, ſed in duobus, vel tribus ea maxime alterantur; proprios caracteres eorundē corporum in duobus, vel tribus annis alterari.

XLI.

Aliorum corporum elementa, ſecundum eorum etiam diuerſam conſtitutionem, cum non maxime in ſeptem annis alterantur, nec eorum in ſcribendo caracteres alterari.

XLII.

Elementa omnia cum propriam, & diuerſam naturam habeant, in operationibus dum mouentur proprias, & diuerſas figuras adipiſci, in iis vero operationibus quæ fiunt circumobſiſtentia contrariorum, vna nempe circulari omnibus communi forma figurari.

XLIII.

Quod ſi elementa in mundo, orbiculari forma collocantur, per accidens tamen, & ob cœli rotūditatem, non ex propria natura id ipſis contingere.

XLIV.

Ignis propriam figuram, pyramidem eſſe aſperæ ſuperficiei, eam ſcilicet quæ tortuoſa dicitur, natura enim ignis calida, & ſicca eſt, caloriſque munus acuta efformare corpora, & ſicci, quod paſſiua qualitas eſt aſpera reddere.

XLV.

Aeris igitur figuram piramidem lenis ſuperficiei eſſe ob caliditatem, & humiditatem, quam habet; humidi namq; munus lęuia efficere corpora, & caloris acuta.

XLVI.

Aquam quæ frigida, & humida eſt in circularem caracterem lenis ſuperficiei diffundi; humidum enim lęuia facit corpora, & frigus obtuſa.

XLVII.

Contra verò terræ ſpecimen aſperum circulare eſſe, quia frigus obtuſa efformare

ten-

tentat corpora, & ſiccum aſpera, etenim ſiccam, & frigidam naturam terra habet.

XLVIII.

Hæc omnia elementa in ſcribendi operationem, ita influere; vt ſuas motu ſtyli ſeruent figuras.

XLIX.

Caracterem quem diximus proprium, ſecundum naturam eſſe, præter proprium vero præter naturam, quare contra proprium contra naturam iudicari.

Pariter

L.

Pariter tempus ſcriptionis, quod nominauimus proprium ſcribentis, ſecundum naturam eius eſſe; illud præter propriũ dictum prȩter ſcribentis naturam eſſe; aliud autem contra naturam, quod contra proprium nominatum eſt.

LI.

Cum in temperamentis purum elementum aſſignari non poſſit; puram, & abſolutam perfectamque figuram circularem, vel pyramidalem neutiquam in ſcripto caractere comperiri.

LII.

Sicuti ex elementorum commixtione temperies quædam pullulat mihi, & tibi propria; ita ex harum figurarum concurſu caracterem pullulare mihi, & tibi proprium.

LIII.

Ex eo ſcripto caractere, qui à nobis, ſecundum naturam nuncupatur, non ſolum quod elementum prędominium, vel ſubdominium habeat percipi poſſe, quã quod elementum tertium dominium, quodque vltimum gradum obtineat.

LIV.

Ex determinatione quantitatum figurarũ, quæ menſura earundem habetur, ita elementorum quantitates perſcrutari; vt quilibet eorum gradus prędominij, vel inferioris dominij dignoſci poſſit.

LV.

Menſura hæc vniuſcuiuſque figuræ elementalis; cum perdifficilè ſit, vt oculis percipiatur; inſtrumenta tamen comperiri aſſerimus, quæ huius menſurę cognitionem de facili præbeant.

LVI.

Ad metiendas quatuor figuras, quatuor comperiri inſtrumenta.

LVII.

Hanc elementorum conſtitutionem, prout corpus reſpicit, corporis dotes progignere.

LVIII.

Eandem, in quantum animam reſpicit, hominem ad animi dotes inclinare.

LIX.

Hanc etiam, elementorũ ſcilicet conſtitutionem, dum animam, & corpus reſpicit, hominem ad bona fortunæ inclinare. Quapropter elementorum diuerſam conſtitutionem, diuerſas inclinationes ad corporis, fortunæ, & animi bona producere.

LX.

Ex eadem igitur elementorum conſtitutione quæ, ope IDENGRAPHIAE indagatur inclinationes animi,corporis, & fortunæ conijci poſſe.

LXI.

Non tam ex naturali hominum actione ſcribendi, quam ex animalium ſcripto caractere, corporis dotes animalium, & eorundem animi proprietates indagari.

LXII.

E caractere, qui in ſcribendo formatur, non tam hominis, vel animalis qualitatem cognoſci, quàm ex hominis, vel animalis qualitate caracterem perſcutari.

LXIII.

Etiam qualitates aliquas eorum hac IDENGRAPHIA conijci; qui

non ex habitu caracterem efformant.

LXIV.

Ex peculiari elementorum conſtitutione, elementorum peculiares alterationes cognoſci.

LXV.

Iccirco cognito elementorum qualis ſit alteratio ſpatium temporis, quo ipſa perduratura eſt; ſiue terræ ſit, aquæ, aeris, vel ignis perſcrutari.

LXVI.

Ex ordine, & peculiari conſtitutione elementorum, indagari, quæ prior, quæue poſterior vniuſcuiuſque elementi alteratio ſit.

LXVII.

Quapropter elementorum alterationum ordinibus, & alterationibus eorundem vnius anni, vel duorum; tempora euentuum vnius anni, vel duorum determinari poſſe.

LXVIII.

Ad hæc omnia, quæ, IDENGRAPHIA, inda-

indagantur, ita inclinari hominem; vt ſicuti proprium eius, & naturalem caracterem immutare, vel alterare poteſt; ita ſuos vnumquemque mores animi, & fortunę bona, & eorumdem euentus alterare, vel immutare poſſe.

LXIX.

Ad hæc perfecte indaganda qualitatem ſtyli, & materiæ, in qua ſcriptus caracter inheret, nec non, & naturalis inſtrumẽti ad ſcribendum, à nobis non ignorari debere.

Subie-

LXX.

Subiectum igitur in IDENGRAPHIA ſcriptum caracterem, vt ſcribentis qualitates determinantem opinabimur.

LXXI.

IDENGRAPHIAM verò hanc, licet philoſophantibus hactenus incognitam: partem tamen eſſe naturalis philoſophiæ.

LXXII.

Quapropter habitum eſſe ſcientificũ, ſcribentis qualitates ex ſcripto, & naturali caractere determinandi.

Imprimatur.

Petrus Antonius Ghibertus Locumt.

M. Cornelius Tiroboſcus Prędicatorum Ordinis Curiæ Archiep. Theol.

NEAPOLI.

Ex Typographia Tarquinij Longi. 1611.

Imprimatur.

Petrus Antonius Ghibertus Locumt.

M. Cornelius Tirobolcus Prędicatorum
Ordinis Curiæ Archiep. Theol.

NEAPOLI.

Ex Typographia Tarquinij Longi. 1621.